



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus IV. vtrum prædestinatio Christi sit causa nostræ
prædestinationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Filius Dei propter suscipientem vnigenitum Deum veraciter & proprie diceretur. Et ideo quia illa susceptio sub praedestinatione cadit, tanquam gratuita, vtrumque potest dici, scilicet, quod & Filius Dei praedestinatus sit esse homo, & filius hominis praedestinatus sit esse Filius Dei. Quia tamen gratia non est facta Filio Dei, ut esset homo, sed potius humana natura, ut Filio Dei vniueretur: magis proprie potest dici, quod Christus secundum quod homo, est praedestinatus esse Filius Dei, quam quod Christus secundum quod Filius Dei, sit praedestinatus esse homo.

COMMENTARIUS.

Inquit hic D. Thomas terminum huius praedestinationis, & quaestionem intelligit de Filio Dei naturali propriissime, & personaliter, eo modo, quo hic homo Christus est Filius Dei naturalis per aeternam generationem: ita ut sensus sit, an Christus in quantum homo sit praedestinatus fore ipsum Verbum Dei, quem sensum satis explicuit D. Tho. in argumento primo cum solutione.

Respondet autem in corpore, illam locutionem non esse falsam, sed veram, Christum in quantum homo est praedestinatus esse Filius Dei, quia hoc convenit illi ratione humanae naturae, cui in tempore gratia vnionis facta est, quae ab aeterno fuerat praedestinata, & per eam effectum est, ut hic homo esset Filius Dei naturalis. Non explicat autem D. Tho. an haec locutio tantum sit vera cum illo addito, in quantum homo, vel an etiam simpliciter dici possit, Christus est praedestinatus esse Filius Dei: indicat tamen, solum cum illo addito veram esse propositionem illam, dum inquit, solum ratione humanae naturae, praedestinationem competere Christo. Sed hoc statim latius disputandum est. Vbi etiam explicabuntur solutiones ad 1. & 3. Solutio vero ad secundum facilis est.

ARTICVLVS III.

Vtrum praedestinatio Christi sit nostra praedestinationis exemplar.

222.
3 d 10 g.
3 art 3
Ro 1. lib. 3
col. 2 fin

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod praedestinatio Christi non sit exemplar nostra praedestinationis: exemplar enim praexistit exemplato: Nihil autem praexistit aeterno. Cum igitur praedestinatio nostra sit aeterna, videtur quod praedestinatio Christi non sit exemplar nostra praedestinationis.

2. Praeterea, Exemplar ducit in cognitionem exemplati. Sed non oportuit, quod Deus diceretur in cognitionem nostra praedestinationis ex aliquo alio, cum dicatur Rom. 8. Quos praesciuit, hos praedestinavit. Ergo praedestinatio Christi non est exemplar nostra praedestinationis.

3. Praeterea, Exemplar est conforme exemplato. Sed alterius rationis videtur esse praedestinatio Christi, quam praedestinatio nostra: quia nos praedestinamur in filios adoptionis: Christus autem est praedestinatus Filius Dei in virtute, ut dicitur Roman. 1. Ergo eius praedestinatio non est exemplar nostra praedestinationis.

Cap 15 in
prin 10, 7.

Sed contra est, quod August. dicit in lib. de pred. Sanct. * Est praeclarissimum lumen praedestinationis & gratiae ipse Saluator, ipse Mediator Dei & hominem, homo Christus Iesus. Dicitur autem lumen praedestinationis & gratiae, in quantum per eius praedestinationem & gratiam manifestatur nostra praedestinatio: quod videtur ad rationem exemplar & pertinere. Ergo praedestinatio Christi est exemplar nostra praedestinationis.

a Respondeo dicendum, quod praedestinatio dupliciter potest considerari. Vno modo secundum ipsum actum praedestinantis: & sic praedestinatio Christi non potest dici

Exemplar nostra praedestinationis: vno enim modo & eodem actu aeterno praedestinavit Deus nos & Christum. Alio modo potest praedestinatio considerari secundum illud, ad quod aliquis praedestinatur: quod est praedestinationis terminus & effectus. Et secundum hoc praedestinatio Christi est exemplar nostra praedestinationis, & deo dupliciter. Primo quidem quantum ad bonum ad quod praedestinamur. Ipse enim est praedestinatus ad bonum, quod est Filius naturalis: nos autem praedestinamur ad filiationem adoptionis, quae est quaedam participata similitudo filiationis naturalis. Vnde dicitur Roman. 8. Quos praesciuit & praedestinavit conformes fieri imaginis filij sui. Alio modo quantum ad modum consequendi istud bonum, quod est per gratiam, quod quidem in Christo est manifestissimum: quia natura humana in Christo nullis suis praecedentibus meritis est vnita Filio Dei. Et de plenitudine gratiae eius nos omnes accipimus: ut dicitur Ioan. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod illa ratio procedit ex parte illius actus praedestinantis. Et similiter dicendum ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod non est necessarium, quod exemplatum exemplari quantum ad omnia conformetur, sed sufficit quod exemplatum aliquantulum imitetur suum exemplar.

COMMENTARIUS.

Affirmat D. Thomas cum August. lib. de praedest. c. 15. & de bono perseverantiae, cap. vlt. cni consentiunt ceteri Theologi in 3. dist. 10. vbi Albert. D. dub. vlt. Durand. quest. 2. Palud. quest. 3. Bonavent. dist. 11. art. 1. quest. 1. & Alenf. 3. par. qu. 3. memb. 5. & in su. perioribus satis declarata est haec D. Tho. conclusio, dist. 5. sectio. 2. Neque hoc loco oportet plura addere, quia res est facilis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum praedestinatio Christi sit causa nostra praedestinationis.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod praedestinatio Christi non sit causa nostra praedestinationis: aeternum enim non habet causam. Sed praedestinatio nostra est aeterna. Ergo praedestinatio Christi non est causa nostra praedestinationis.

2. Praeterea, illud quod dependet ex simplici Dei voluntate, non habet aliam causam nisi Dei voluntatem. Sed praedestinatio nostra ex simplici voluntate Dei dependet. Dicitur enim Ephes. 1. praedestinati secundum propositum eius, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suae. Ergo praedestinatio Christi non est causa nostra praedestinationis.

3. Praeterea, Remota causa, remouetur effectus. Sed remota praedestinatione Christi, non remouetur nostra praedestinatio: quia etiam si Filius Dei non incarnaretur, erat alius modus possibilis nostrae salutis, ut August. dicit in lib. de Trinitate. Praedestinatio ergo Christi non est causa nostra praedestinationis.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 1. Praedestinasti nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.

a Respondeo dicendum, quod si consideretur praedestinatio secundum ipsum praedestinationis actum, praedestinatio Christi non est causa nostra praedestinationis: cum vno & eodem actu Deus praedestinaverit ipsum & nos. Si autem consideretur praedestinatio secundum terminum praedestinationis, sic praedestinatio Christi est causa nostra praedestinationis. Sic enim Deus praedestinavit nostram salutem ab aeterno praedestinando, ut per Iesum Christum compleretur.

pleretur. Sub prædestinatione enim aeterna non solum cadit id, quod est sciendum in tempore, sed etiam modus & ordo, secundum quem est complendum in tempore.

Ad primum ergo & secundum dicendum, quod rationes illae procedunt de prædestinatione secundum prædestinantis actum.

Ad tertium dicendum, quod si Christus non fuisset incarnandus, Deus præordinasset homines saluari per aliam causam: sed quia præordinavit incarnationem Christi, simul cum hoc prædestinavit, ut esset nostrae salutis causa.

COMMENTARIUS.

Hic articulus etiam est in superioribus explicatus, nam de duplici genere causae potest hæc quaestio intelligi, finali & meritoria, & de finali diximus in disp. 5. sectione 2. Christum esse causam finalem nostrae prædestinationis, quod ex modo loquendi Scripturae, Conciliorum, & Patrum ostendimus. De causa autem meritoria in disp. 4. dum esset sermo de Christi merito, fusè satis disputatum est.

DISPUTATIO L.

In quatuor sectiones distributa.

De modo loquendi circa prædestinationem Christi.

Repono disputationem hanc sub hoc titulo, quia de prædestinatione Christi quoad rem ipsam nulla mihi superest disputatio, his suppositis quae in disp. 5. tradita sunt. Vñ enim certa fide indubitatur est, scilicet substantialis vnionem duarum naturarum, diuinæ & humanæ in vna persona Filij Dei, fuisse ab æterno prædestinatam à Deo: ut recte hic D. Th. art. 1. docuit, & colligitur ex Paulo 1. ad Corin. 2. dicente: Loquimur Dei sapientiā in mysterio, quae abscondita est, quam prædestinavit Deus Eph. 1. 3; ante secula in gloriam nostram: & ideo ad Eph. 1. hoc mysterium vocat Sacramentum voluntatis Dei, & cap. 3. vocat Sacramentum absconditum à seculis in Deo. Et ratio clara est, quia prædestinatio, quāvis ad omnes effectus diuinæ voluntatis accommodari possit, ex usu tamen Theologorum potissimum esse dicitur in operibus gratiae, & gloriae: sed hæc vnio est maximum opus diuinæ gratiae, quod Deus absoluta & efficaci voluntate ab æterno voluit, ut in tempore fieret, ergo ab æterno fuit hoc opus prædestinatum & præordinatum à Deo. In quo autem signo rationis nostro modo intelligendi præordinatum fuerit, & propter quam præcipue rationem, & quem gradum vel rationem causa teneat inter alia diuina opera in citato loco fusè explicatum est. Solum ergo superest ut dicamus de variis locutionibus, quibus hæc eadem res explicari potest, vel loquendo de Christo, seu de hoc homine, aut de Verbo, seu diuino supposito, aut de humana natura, vel in ordine ad prædestinationem præcisè dictam, vel cum relatione ad aliquem certum terminum, de quibus sigillatim dicendum est.

SECTIO I.

An simpliciter verum sit, Christum, aut Filium Dei ab æterno esse prædestinatum.

Nonnulli Theologi negant ita nobis esse simpliciter loquendum. Et ratio reddi potest, quia quod non potest absolute dici de Filio Dei, nec de Christo potest simpliciter dici: sed Verbum, vel Filius Dei non potest simpliciter dici prædestinatus: quia hæc vox, prædestinatus, prout est in usu Theologorum, quando de aliquo absolute dicitur, significat illum per diuinam voluntatem esse ab æterno ordinatum ad aliquod esse diuinum, seu ad suam beatitudinē: hoc autem dici non potest de Filio Dei, qui suā beatitudinē

Er. Suarez. Tom. 1.

attitudinem non habet ex prædestinatione, sed per æternam generationem.

Dico primo. Christus in quantum homo, est ab æterno prædestinatus. Est communis & certa conclusio. Et probatur facile, quia Christus in quantum homo ab æterno est à Deo dilectus, & ordinatus ad perfectissima dona gratiae, & gloriae, quæ illi ut homini ab æterno preparata sunt: propriissime ergo & perfectissime potest dici prædestinatus, multo magis quam alij homines electi. Et confirmatur, quia Christus in quantum homo est Filius Dei naturalis ratione gratiae vnionis, sicut ergo hæc vnio ab æterno prædestinata est, ita & Christus ut homo est prædestinatus.

Dico secundo. Christus Dominus absolute, & si ne alia determinatione in subiecto vel prædicato posita, verè ac propriè dici potest prædestinatus. Hæc est mens D. Thom. hic in art. 1. & aliorum Theologorum in 3. dist. 7. Alen. 3. par. qu. 3. & est ferè aperta sententia August. de prædestinat. Sanct. cap. 15. & de bono perseverant. cap. vlt. & tractatu. 105. in Ioan. & colligitur ex Petr. 1. Canon. cap. 1. vbi hoc sensu vocat Christum, Agnum immaculatum, præcognitum quidem ante mundi constitutionem, manifestatum autem novissimis temporibus: & ex Paul. 1. ad Corin. 2. vbi loquens de sapientia incarnata, quam nemo principum huius seculi cognouit, dicit, eam prædestinasse Deum, ante tempora secularia, vbi Chrysostr. & alij exponunt: vñ de Concil. Tolet. XL sic de Christo loquens, inquit: Per hoc quod de Maria Virgine natus est, & prædestinatus esse credendus est. Ratione probatur, quia Christus significat quid subsistens in duabus naturis diuina, & humana, sed hoc ipsum, ut Christus subsistat in duabus naturis prædestinatus est ab æterno, ergo & Christus simpliciter dici potest ab æterno prædestinatus. Secundo Christus simpliciter dicitur glorificatus, exaltatus, &c. cur ergo non poterit dici prædestinatus, cum omnia hæc prædicata dicantur de Christo ratione assumptæ naturæ? Tertio, cum aliquis dicitur prædestinatus simpliciter, vel intelligi potest ratione beatitudinis, ad quam est electus, & ordinatus vel ratione existentiae, quia scilicet ordinatus est, ut sit in rerum natura, sed Christus maxime est electus ad beatitudinem, & ordinatus est, ut subsistat in duabus naturis, quod est esse Christum, ut dictum est, ergo.

Dices. Subsistere in duabus naturis, pertinet quasi ad ipsam Christi constitutionem, & compositionem, sed quæ pertinent ad constitutionem rei, non cadunt sub prædestinationem eius, ut notauit Diuus Thom. lectione 3. super ad Roman. 1. ergo. Respondetur, Quando compositio, vel constitutio rei est mere naturalis, illa non propriè cadit sub prædestinationem tanquam terminus eius, quia prædestinatio, ut nunc loquimur, respicit supernaturalia bona: at vero in Christo ipsa met illius constitutio, & quasi compositio non est mere naturalis, & ideo verè ac propriè prædestinata est, & ab illa potest Christus simpliciter prædestinatus denominari.

Dico tertio. Verbum, seu Filius Dei non potest simpliciter dici prædestinatus propriè loquendo. Hanc conclusionem pono propter rationem dubitandi in principio positam, & est communis Theologorum in 3. dist. 7. Bonavent. Ricard. Durand. & Palud. quia licet Verbum aliquid in humanitate habeat ex diuina prædestinatione, non tamen ex illa habeat ea, quæ pertinent ad esse simpliciter, vel beatitudinem simpliciter ipsius Verbi, sicut per illam locutionem absolute dictam significatur. Vnde ex principijs Dialecticæ potest assignari differentia inter has propositiones, Verbum, aut Christus est prædestinatus, nam prædestinatio cum significet actum animæ, applicat suū significatum subiecto formaliter sumpto; vnde, cū de Christo dicitur, cadit in ipsum, ut subsistens est in duabus naturis, quia ut sic, verè est prædestinatus;

Rrr 3 cum

Christus ab æterno prædestinatus, D. Thom. Alen. August.

1. Petr. 1.

1. Cor. 2.

Chrys. Conc. Tolet.

Obiectio.

Responsio.

Bonau.

Ricard.

Durand.

Palud.

eum vero dicitur de Filio Dei, videtur illi tribui secundum se, & ideo in rigore non est vera locutio, nisi addatur determinatio, in quantum homo.

D. Thom.
Alens.
Scot.

Dico quarto, Cum relatione ad aliquem terminum dici potest Verbum, seu Filius Dei esse prædestinatus ab æterno, ut in tempore fiat homo. Ita docet D. Thom. hic art. 2. ad secundum, Alensis, Scot. & alij supra citati. Et ratio est, quia designatio illius terminum satis explicatur, Verbum non simpliciter adesse, vel ad beatitudinem Verbi, sed secundum quid esse prædestinatum, ut sit homo. sicut etiam dici potest præordinatum, ut uniatur humanitati. Et confirmatur, nam proprie dicitur Verbum factum homo, ergo & prædestinatum ut sit homo.

Obiectio.

Sed contra, quia nomen prædestinationis significat, prædestinatum, esse ordinatum ad aliquod beneficium, vel gratiam suscipiendam, respectu autem Verbi non est beneficium, aut gratia, quod fiat homo. Propter hoc Durandus dixit, illam locutionem in rigore esse falsam, D. Thom. vero solum dixit esse minus propriam. Unde respondetur in rigore ad veritatem illius locutionis non esse necessarium ut gratia fiat ei, qui denominatur prædestinatus, sed satis esse, ut ex gratia, quæ alteri facienda prædestinatur, alius quali per denominationem extrinsecam prædestinatus ad talem terminum dicatur. Quod exemplo accommodatè declaratur, nam Verbum dicitur factum caro, non per mutationem in ipso factam, sed per mutationem humanitatis, ex qua resultat in Verbo talis denominatio: sic igitur poterit Verbum dici prædestinatum ut fiat homo, non quia ex vi prædestinationis sit illi aliqua gratia conferenda, sed humanitati, vel huic homini, quatenus obiectum est huius prædestinationis, ut iam explicabimus. Et ideo merito dixit D. Thom. illam locutionem esse minus propriam, quia in illa ponitur Verbum, ut obiectum huius prædestinationis, cum tamen non Verbum secundum se, sed ut est Christus, seu hic homo, habeat rationem talis obiecti, ut in sequenti sectione dicitur.

Responsio.

SECTIO II.

An dictum sit Christus prædestinatus ut sit Filius Dæmonialis.

Locus Pauli ad Ro. 1.

Fundamentum huius quæstionis sumptum est à Theologis ex verbis Pauli ad Roman. 1. Paulus, servus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo: qui factus est ex semine David secundum carnem: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex re,urrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri: & ideo hæc verba Pauli prius diligenter explicanda sunt, & deinde scholastica controversia terminanda.

1. Expositio.

Est igitur prima Sanctorum Græcorum expositio, qui non de Christi prædestinatione, sed de eius manifestatione hunc locum intelligunt, non enim legunt, qui prædestinatus est, sed qui declaratus est. Græca enim exemplaria non habent hoc loco verbum *ἀποστόλου* quo solet Paulus prædestinandi actum significare: ut constat ad Roman. 8. & 1. ad Cor. 2 ad Eph. 1. sed habet verbum *ἐκείνου*, quod per verbum declarandi optime verti potest, id enim proprie significat, & optime quadrat contextui, & reddit facilem, ac expeditum sensum, videlicet, licet Christus sit factus secundum carnem; tamen declaratum esse Filium Dei: primo in virtute patranda miracula: secundo in spiritu sanctificandi homines per doctrinam, per imperium efficax, per meritum & satisfactionem suam, denique per virtutem mittendi Spiritum sanctum: tertio per suam resurrectionem ex mortuis. Italegunt, & exponunt Chrysost. Theophyl. & Theod. & alij Græci expositores ad Roman. 1. Cyril. lib. 1. de fide ad Regim. Damasc. lib. 4. de fide cap. 19. Quæ sa-

Chrysost.
Theophyl.
Theodor.
Cyril.
Damasc.

ne expositio satis probabilis est, supposita præsertim illa lectione, seu significatione vocis. Non tamē nobis est relinquenda vulgata lectio, sed omnino retinenda. Primo propter illius auctoritatem. Secundo, quia antiqui Patres Latini ita legunt, & de propria prædestinatione verbum illud interpretantur. Ambrosius Hieron. Anselm. lib. August. lib. 12. de Trinitate cap. 6. & de prædestinatione. Sanct. cap. 15. de bono perseverant. cap. ult. & tract. 105. in Ioan. Hilari. lib. 7. de Trinit. Iræne. (si inter Latinos numerandus est) lib. 3. contra hæres. ca. 18. & 32. Tertio, quia verbum *ἐκείνου* propriissimè significat animo statueret, proponeret, dicitur seu desinit, ut Actor. 2. ubi ait Petrus hunc desinito: & 17. filio. & Græca lectio habet *ἐκείνου* & ca. 17. desinit. Tamen statuta tempora; Græce *ἐκείνου*. Unde Tertull. contra Praxean legit in hoc loco Pauli ad Roman. 1. Quis desinitus est. Et eodem modo videtur legisse, & interpretatus esse Origen. lib. 1. super ad Roman. ubi licet differentiam constituat inter verbum *desinito* & *prædestino*: tamen relata ad actum mentis diuine, idem prorsus significant quia ea, quæ Deus fieri desinit, etiam prædestinat, cum eius definitio semper antecedit, est enim æterna; res autem definita in tempore fit. Unde Dionys. cap. 5. de diuin. nom. circa finem Diuinas, inquit voluntates, eorum quæ sunt à finituras, prædestinationes Theologia vocat.

Recenta igitur vulgata lectione, est secunda lectio & expositio, quæ affirmat, participium *prædestinatus* non ex parte prædicati, sed ex parte subiecti consistendum esse, ita ut non dicatur Christus prædestinatus esse Filius Dei, sed potius ille, qui est factus, & prædestinatus secundum carnem, dicatur esse Filius Dei. Iuxta quam lectionem & expositionem Christus in eo loco appellatur prædestinatus absolute: non tamen explicatur terminus, ad quem prædestinatus est: nam licet ille prædestinatus dicatur esse Filius Dei, non tamen dicitur hoc esse Filius Dei, esse terminum illius prædestinationis. Hanc expositionem refert hic Caietan. ex Origen. & non improbat, sed potius ita refert ut approbare videatur. Sed non placet. Primo, quia est contra omnium Patrum, ac expositorum lectionem, ac sensum. Secundo, quia non quadrat contextui; sed illi potius vim infert, & clarius patet ex textu Græco, qui ad litteram translatus sic habet, De Filio suo factus ex semine David secundum carnem, definitio Filio Dei in virtute: ex quo contextu clare satis constat, illud participium *desinito*, seu *prædestinatus*, adiectiue, non substantiue teneri, atque adeo non habere rationem subiecti, sed prædicati, sicut & participium illud *factus*, præsertim cum eodem modo dicatur, qui prædestinatus est, sicut, qui factus est. Denique nisi participium illud, *prædestinatus*, coniungatur cum verbis sequentibus, vix possunt commode explicari, ut ex sequentibus magis constabit. Concludamus igitur, in hoc loco dici Christum ut hominem esse prædestinatum Filium Dei, seu ut esset Filius Dei: quo autem sensu hoc dicatur non eodem modo ab omnibus exponitur.

Est ergo tertia expositio, quæ hanc prædestinationem refert ad humanitatem, quæ prædestinata dicitur, ut sit vnita Filio Dei, ita Aymo, & Hugo in Paulum. Sed quidquid sit de re ipsa, seu de prædestinatione humanitatis, de qua infra dicam, tamen (ut recte D. Tho. hic artic. 1. ad secundum, dixit) hæc expositio nullo modo potest verbis Pauli accommodari. Tum quia euidenter constare potest ex isto contextu obiectum huius prædestinationis esse Filium Dei, vel Christum ut hominem, illum enim refert relatiuum illud, qui: tum etiam, quia dicitur prædestinatus, ut sit Filius Dei, at vero humanitas neque est Filius Dei, neque prædestinata est vniti Filio Dei.

Est igitur quarta expositio, Christum, vel Filium Dei, dici prædestinatum, non tamē absolute, & simpliciter, ut sit Filius Dei, sed ut esset in virtute secundum spiritum.

spiritum sanctificationis, id est, ut ad nos descenderet cum potestate, & efficacia ad sanctificandos homines ex resurrectione mortuorum, id est, moriendo & resurgendo pro hominibus, quia mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Vel, secundum spiritum sanctificationis, quem ex mortuis resurgendo ad nos misit, non enim fuit spiritus datus, donec Iesus fuit glorificatus: vel denique, quia predestinatus est, ut nos sanctificaret sanctificatione perfecta, & consummata, qualem habebunt Sancti, quando in Christo ex mortuis resurgent. Hanc expositionem indicavit Cyril. dicto lib. 1. ad Reg. & placuit Augustino in expositione inchoatae epistolae ad Roman. quem sequitur Titelm. in eadem epistolam collat. 1. & Caiet. ibidem. Et est sane probabilis, nam illud relatum, qui predestinatus est, aperte videtur referre ipsam Filium Dei, de quo sermo praecessit, at, quia sicut dicitur, qui factus est, ita dicitur, qui predestinatus est, sed in priori parte refertur Filius Dei, ergo & in posteriori. Unde sicut in priori additur illa particula secundum carnem, ad limitandum & explicandum terminum illius effectus: ita in posteriori additur illa particula, secundum spiritum sanctificationis, ad indicandum, & limitandum terminum illius predestinationis: Filius enim Dei: cum sit aeternus, & per se beatus, non potest simpliciter dici predestinatus, ut supra etiam diximus, sed predestinatus est, ut assumeret humanitatem, in qua virtutem, ac potestatem haberet sanctificandi homines. Denique hoc maxime quadrat cum textu Graeco, qui non habet relatum, qui, sed per adiectiva dicitur hoc modo factus, secundum carnem, predestinato Filio Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis. Solum potest contra hanc expositionem obijci, quia propria, & perfecta ratio predestinationis refertur ad illud bonum, quod excellentius est in predestinato, & ideo in puris creaturis predestinatio dicitur in ordine ad beatitudinem, quia hoc est perfectissimum bonum earum: at vero respectu Christi Domini, esse sanctificatore hominum, non est excellentius bonum eius: maius enim est, esse Filium Dei, ergo. Sed hanc obiectionem non est magni momenti: tum quia non est necesse Paulum loqui de perfectissimo termino predestinationis: tum etiam, quia si ipse Filius Dei est obiectum talis predestinationis, ut dicta expositio supponit, non poterit tam proprie dici predestinatus, ut sit Filius Dei, quam ut sit homo habens virtutem ad sanctificandos homines. Sit igitur haec expositio probabilis.

Quinta tamen expositio est, ut Christus dicatur predestinatus esse Filius Dei, non quidem filius naturalis, qualis est per aeternam generationem, sed ex resurrectione mortuorum, nam sicut Psalmo 2. loquitur Pater ad Filium: dicens, Filius meus es tu: ego hodie genui te, quod dictum esse ratione resurrectionis exponit Paul. Act. 13. ita dici potest Christus predestinatus Filius Dei ex resurrectione mortuorum: est enim resurrectio veluti generatio quaedam propter quod etiam ad Ephesios 1. vocatur Christus primogenitus ex mortuis: Quae expositio non displicet Augustino in citata expositione inchoata, & eam indicat Hieron. super ad Rom. 1. & clarius docent Anselm. & Prima. Mihi tamen non admodum placet: primo, quia Paulus aperte loquitur de Filio Dei naturali per aeternam generationem, cum inquit, de Filio suo, qui factus est ex femine David secundum carnem, ergo eodem modo loquitur de Filio Dei, cum subdit, qui predestinatus est Filius Dei, alius in eodem brevi contextu aequivoce vteretur illa voce: quod sine causa evidenti admittendum non videtur. Deinde, quia iuxta hanc expositionem oportet coniungere illa verba, qui predestinatus est Filius Dei, cum illis, ex resurrectione mortuorum, praetermissis intermediis, scilicet, in virtute secundum spiritum sanctificationis: quae tamen constructio duriuscula est: propter quod (ut dixi non omni-

no placet, quamvis non sit contemnenda haec interpretatio, praesertim si alias non excludat.

Sexta ergo exponitur, Christum dici esse predestinatum Filium Dei verum, ac naturalem, non quia sit predestinatus, ut sit, sed ut cognoscatur esse Filius Dei, iuxta usitatam phrasim Scripturae, qua interdum dicitur tunc aliquid fieri, cum manifestatur, ut Apocalyp. 5. dicitur, dignus est agnus qui occisus est, accipere divinitatem, non in re, hoc enim non eecidit sub meritum, sed in aliorum cognitione & manifestatione. Ad hunc ergo modum, dici potest predestinatus Filius Dei, non ut filiationem in re ipsa accipiat, sed illius cognitionem, & manifestationem, quae facta est per virtutem miraculorum, per spiritum sanctificationis, & resurrectionem Christi ex mortuis. Quae expositio eadem est cum expositione Graecorum, & ad eam accommodat verba vulgatae editionis, illamque amplectuntur Ambrosius, & Gloss. ordinaria, & ex scholasticis, Durand. & Palud. Et est probabilis, solumque ille ob stare potest, quia minus proprie interpretatur verba Pauli, cum tamen omnis verborum proprietates servanda sit, quoad fieri possit.

Ultimo ergo exponitur hic locus cum omni verborum proprietate, ut ille idem homo, qui factus dicitur secundum carnem, dicatur predestinatus ab aeterno, ut in tempore verum, ac proprie sit Filius Dei naturalis. Haec est expositio Augustini locis in principio citatis: quam indicat etiam Bernardus libro quinto, de consideratione circa finem, dicens: Distinctus hominem illum, qui predestinatus est Filius Dei, sibi copulavit: & eam approbant Beda, & glossa interlinealis, & Lyra. Chartus. & Adamus in Paul. & ibidem Divus Thomas & hic, & in tertia distinctione septima, ubi Magister, & fere alij scholastici eandem sequuntur. Bonaventura articulo secundo, quaestione tertia, Ricardus articulo secundo, a quaestione tertia. Scotus quaestione tertia, Alensis tertia parte, quaestione tertia, memb. 2. & 3. Marfil. quae. 7. articulo 1. Ad quam sententiam exponendam duo agenda sunt. Primum enim explicare oportet, quo sensu illa locutio vera ac propria esse possit. Deinde quomodo accommodari possit ad litteram, seu verba D. Pauli.

Tota vero difficultas in explicanda hac locutione, Christus est predestinatus Filius Dei, in hoc posita est, quia obiectum predestinationis non debet includere terminum eiusdem predestinationis, ut homo dicitur predestinatus ad gloriam, quia gloria non includitur in conceptu hominis: at vero non dicitur predestinatus, ut habeat animam rationalem, quia homo ut sic, includit huiusmodi animam: Christus autem Dominus in suo conceptu includit divinum suppositum Filij Dei, ergo nullo modo potest dici predestinatus, ut sit Filius Dei naturalis. Propter similem enim rationem negavimus supra quaestione 16. CHRISTVM, vel hominem factum esse Deum, vel Filium Dei, quia scilicet Christus, vel hic homo, includit divinum suppositum, ergo eadem ratione negandum est esse predestinatum Filium Dei. Unde Durand. dist. 7. quaestio 3. quem ibidem Palud. quaestio. etiam 3. & alij sequuntur, negat illam propositionem esse veram in sensu riguroso, sed explicandam esse in sensu improprio: ita ut participium illud predestinatus, cadat in totam propositionem. Sicut superius dicebamus de hoc, homo factus est Deus, quia factum est ut verum sit, hominem esse Deum, eodem enim modo predestinatum est hunc hominem esse Filium Dei, predestinando scilicet ipsam unionem humanitatis ad Deum.

Alij vero dicunt proprium sensum illius locutionis esse, Verbum Incarnatum ut sic predestinatum esse, ut existens in humanitate sit Filius Dei naturalis. Ita Caietanus hic, qui addit obiectum huius predestinationis esse Verbum incarnatum, ut abstracta

hit à vera, & substantiali Incarnatione, & à ficta Incarnatione, quam hæretici fingunt, terminum verò huius prædestinationis dicit esse, Verbum substantialiter incarnatum. Sed hæc mihi non probantur: tum quia illud obiectum talis prædestinationis est gratis confictum, & præter mentem Pauli, & Diui Thomæ: tum etiam, quia terminus illius prædestinationis re vera non est hominem esse Filium Dei, sed potius est, Deum esse verum hominem per veram, & substantialem Incarnationem: tum denique quia in illo obiecto huius prædestinationis includitur ipse Filius Dei, ergo non prædestinatur, vt sit Filius Dei, sed potius, vt sit verus homo. Et eadem ratione etiam non satisfacit, quod alij dicunt, sequentes ferè eundem sensum, videlicet obiectum huius prædestinationis esse Filium Dei, & humanitatem quatenus præintelliguntur vnioni, terminum verò esse Filium Dei ad hoc prædestinatum, vt sub humanitate existens sit Filius Dei. Contra hoc enim procedit eodè modo ratio facta: quia in illo obiecto semper supponitur includi Filium Dei, & ideo non potest verè, ac propriè pertinere ad terminum eiusdem prædestinationis. Quod apertè confirmatur, quia quod Filius Dei sub humanitate existens sit Filius Dei, non habet ex prædestinatione, sed ex natura sua: habet quidem ex prædestinatione, quod sub humanitate existat, quod autem sub illa retineat filiationem diuinam, hoc veluti naturale est. Sicut, licet homo ex prædestinatione habeat quod beatus sit, tamè quod sub beatitudine, seu beatus existens sit etiam homo, hoc non est propriè ex prædestinatione, neque ad terminum eius pertinet. Vnde non dicitur aliquis verè, & propriè prædestinari vt sub beatitudine sit homo, sed è conuerso, prædestinatur homo vt beatus sit. Sic ergo Verbum diuinum simul cum humanitate præconceptum ante vnionem, prædestinari dici poterit, vt sub humanitate existat: non tamèn propriè, vt sit Filius Dei, loquèdo propriissimè de Filio Dei per æternam generationem, vt nunc loquimur.

*Christus
quomodo
sit prædesti-
natus Fili-
us Dei.*

Quocirca verus, ac proprius sensus huius locutionis est, Christum, vt est hic homo, prædestinatum esse vt sit Filius Dei naturalis. Cuius prædestinationis obiectum est hic homo vt sic, in cuius proprio conceptu non includitur suppositum Filij Dei, sed solum id, quod subsistit in hac humanitate: quia (vt supra q. 3. dictum est) de ratione huius hominis nō est hoc suppositum, sed solum subsistens in hac humanitate vt sic. Terminus autem huius prædestinationis est esse Filij Dei, quia suppositum Filij Dei non includitur in prædicto obiecto, seu conceptu huius hominis. Preconcepitur igitur hic homo, vt sic prius ratione, quam concepiatur esse Filius Dei, & per diuinam prædestinationem ordinatur, vt sit ipsemet Filius Dei naturalis; quæ est suprema dignitas huius hominis, quam ex sua ratione, & proprio conceptu non habet, sed ex gratia, & ordinatione diuina: ab æterno enim decreuit Deus, vt subsistens in hac humanitate esset ipse Filius Dei naturalis. Et hic ordo rationis sufficit ad hanc prædestinationem intelligendam, quia nō oportet, vt obiectum prædestinationis in re ipsa prius natura existat, quam habeat illud esse, seu formam quæ est terminus prædestinationis: sed satis est, vt in ratione sua formali, & conceptu veluti obiecto sit prius, quia prædestinatio est actus mentis includens decretum diuinæ voluntatis, vt dictum est.

Et hinc facile soluitur difficultas in principio tacta, quia in conceptu huius hominis vt sic, non includitur diuinum suppositum. Quod si vrgeas, quia à parte rei conuenit huic homini, vt sit Filius Dei naturalis per naturam, & ideo non posse ad hoc prædestinari. Respondetur, in hoc homine à parte rei existente, posse considerari id quod requirit in quantum hic homo est, & id quod habet ratione talis sub-

Asistentiæ. Si hoc posteriori modo consideretur, ex se habet, quod sit Filius Dei naturalis: tamen consideratur priori modo hoc habet ex prædestinatione, & per gratiam vnionis huic humanitati facta. Quod satis est, vt hic homo vt sic dici possit prædestinatus Filius Dei, quia (vt præcedenti sectione dicebam) licet prædestinatio sit ad opus gratiæ: non tamen oportet, vt gratia fiat illi qui prædestinatus denominatur, secundum omnem rationem, qua sic denominatur: sed satis est, vt gratia fiat naturæ, vt inde possit denominari in suppositum, seu indiuiduum talis naturæ redundare.

Ex quo colligitur primo differentia inter has duas propositiones, *Christus in quantum homo, est prædestinatus Filius Dei naturalis*, Et, *Hic homo factus est Filius Dei naturalis*: nam fieri dicit realem actionem transiensem, quæ in re ipsa supponit illud subiectum, vel suppositum, quod dicitur fieri tale, & quia in re non potest existere tale subiectum, videlicet hic homo, nisi in determinato supposito, ideo in rigore illa propositio, *Hic homo factus est Deus*, falsa est, quin re ipsa nec ordine temporis, nec naturæ supponitur aliquis homo, qui fiat Deus, vt supra quæ. 16. late dictum est. At verò prædestinatio est actus metis, quæ præscindere potest ea, quæ in re coniuncta sunt, & præcise concipere hunc hominem vt subsistentem in hac humanitate abstrahendo ab hoc, vel illo subsistente, & ordinare, vt sit tale subsistens, scilicet Filius Dei: & ideo illa propositio est in rigore vera, quia ex vi verbi *prædestinandi*, non supponitur aliquod suppositum subsistens in hac humanitate, præter suppositum Filij Dei. Vnde, vt hæc prædestinatio in re ipsa mandetur executioni, nō oportet, vt hic homo fiat Deus, sed satis est, vt Filius Dei fiat homo, nam hinc consequenter fit vt hic homo sit Filius Dei naturalis, seu vt subsistens in hac humanitate sit suppositum Filij Dei, quod prædestinatum erat. Et hic est sensus apertus Diui Thomæ, hic artic. 1. ad tertium, quem Caietanus non rectè exponit, affirmans etiam illam propositionem esse veram, *Christus est factus Filius Dei*, quod apertè est contra doctrinam D. Thom. in dicta quæst. 1. & contra rationem iam explicatam.

Secundo colligo ex dictis, Verbum diuinum, seu Filium Dei non posse absolute, & simpliciter dici prædestinatum Filium Dei naturalem. Hoc bene notauit Aletius supra dicta quæstio. 3. Et ratio, quæ ex dictis colligitur, clara est, quia illa locutio significat Verbum diuinum, seu Filium Dei esse obiectum huius prædestinationis: consequens autem falsum est, quia potius hoc obiectum præscinditur saltem in conceptione mentis à Filio Dei. Et confirmatur, quia prædestinari ad esse Filij Dei, non conuenit Verbo secundum se, vt ex Fide constat. Nec per communicationem idiomatum, quia prædestinari ad esse Filij Dei dicitur de hoc homine, vt supponitur saltem in conceptione mentis ante vnionem humanitatis ad Verbum, ergo in hoc prædicato non potest esse communicatio idiomatum, quod ex sequenti illustratione euidentius fiet. Quapropter eum D. Thom. interdum dicit, Verbum, aut Filium ratione humanitatis, seu vt subsistit in humanitate, esse prædestinatum Filium Dei, non intelligit ipsam personam absolute includi in obiecto talis prædestinationis, vel simpliciter ita denominari: sed solum quatenus præcisa ratio subsistens in hac humanitate in ea consideratur, quæ de se in differens est, & abstrahit à supposito Filij Dei naturalis.

Tertio sequitur ex dictis, Christum non esse dicendum simpliciter, & absolute prædestinatum ad esse Filij Dei, sed solum cum illo addito, in quantum homo. Ita colligitur ex D. Thoma in his articulis. Et ratio est, quia Christus supponit pro ipso supposito Filij Dei, & significat compositum ex duobus naturis in vna persona, quæ per se, & natura sua est Filius Dei.

Dei naturalis, & non ex prædestinatione: ergo Christus simpliciter loquendo, non potest esse obiectum huius prædestinationis, cum in se intrinsecè includat terminum eius: at vero addendo illam determinationem, in quantum homo, seu in quantum hic homo, præfinitur, & specificatur, seu designatur propria ratio huius hominis, ita ut in hoc obiecto formaliter non includatur persona Filij Dei.

Obiectio. Sed contra, nam in re ipsa Christus ut homo non est Filius Dei naturalis, eo modo, qui nunc loquimur, ergo neque in quantum homo prædestinatus est ut sit Filius Dei naturalis, quia quod prædestinatur, ita futurum est in re, sicut prædestinatum est.

Responsio. Respondetur cum D. Thom. articulo secundo ad primum, esse æquiuocationem in hoc loquutione, cum enim dicitur: *Christus in quantum homo, est prædestinatus Filius Dei*, illa particula, in quantum, non designat in re prædestinata rationem, secundum quam illi conuenit esse Filium Dei naturalem: sed designat conditionem requisitam ex parte prædestinantis, secundum quam hic homo præfinitur ac formaliter conceptus potest prædestinari ad esse Filij Dei naturalis, non igitur prædestinatur Christus, ut in quantum homo sit Filius Dei naturalis, in quo sensu argumentum procedit: sed Christus præfinit conceptus ut hic homo, prædestinatur ut sit Filius Dei naturalis. Ad formam ergo argumenti negatur consequentia, nam licet res prædestinata habere debeat illud esse, seu formam illam, ad quam prædestinatur: non tamen oportet ut in se sit eodem modo, quo est in mente prædestinantis, sicut necesse est rem verè cognitam talem esse, qualis cognoscitur: non tamen oportet, ut habeat in se modum, quem habet in cognoscente.

Vt in dō facile accommodatur hæc locutio, & expositio ad verba Pauli, ut enim D. Thomas hic, articulo primo, ad secundum notauit, prius premisit Paulus, *Qui factus est ex semine David secundum carnem*, & deinde subiungit, *Qui prædestinatus est Filius Dei*, ubi relatiuum illud *qui*, refert Christum secundum eandem conditionem, seu determinationem, secundum quam factus denominatur, scilicet in quantum hominem, & ut sic dicitur prædestinatus Filius Dei. Additur verò, *In virtute*, id est, in potentia, & maiestate veri Filij Dei, vel alio modo, *In virtute secundum spiritum sanctificationis*, id est, ut haberet virtutem ad sanctificandos homines, ita ut in hoc verbo explicetur non proprius, & intrinsecus terminus prædestinationis, sed ratio, & finis eius. Propterea enim hic homo Christus prædestinatus est Filius Dei, ut esset potens ad sanctificandos homines per mortem, & resurrectionem suam, seu usque ad sanctificationem perfectam, & consummatam, qualis erit in ijs, qui in ipso resurgent.

SECTIO III.

Utrum Christus possit dici prædestinatus ad gloriam, vel alia supernaturalia dona gratie.

Prima sententia est quorundam discipulorum D. Tho. qui negant eam locutionem esse veram, ac propriam in rigore sermonis, quia prædestinatio simpliciter esse dicitur ad id, quod est supremum, & præcipuum in prædestinato: sed in Christo suprema eius dignitas non est beatitudo, sed naturalis filiatio Dei, non ergo propriè dicitur prædestinatus ad beatitudinem, sed solum ad esse Filij Dei naturalis. Et confirmatur primò, quia nullus dicitur prædestinari ad id, quod est sibi connaturale, sicut non dicitur homo prædestinari ad naturalem beatitudinē, quia hæc vox (ut diximus) ad opera gratie accommodata est: sed visio beata est connaturalis Christo: ergo non propriè dicitur ad illam prædestinari. Confirmatur secundo, quia nemo dicitur propriè prædestinari

Ad id quod est veluti proprietas consequens primum terminum suæ prædestinationis, ut non dicuntur homines prædestinari ad gloriam corporis, sed animæ: sed in Christo gloria, & cætera dona sunt proprietates consequentes filiationem diuinam, ad quam Christus ut homo prædestinatus est: ergo.

B Aliorum verò sententia est, Christum propriè dici posse prædestinatum ad gloriam, & alia supernaturalia dona suscipienda. Ita sentiunt Scotus & Durandus in 3. distinctione 17. Et probabile fundamentum esse potest, quia Deus ab æterno, & ante omnia merita præuisa, absoluta & efficaci voluntate decreuit, ut Christus æterna eius beatitudine, & gloria fruere, & illi præpararet gratiam, & gloriam, & alia supernaturalia beneficia, ergo recte potest dici ad hæc omnia prædestinatus. Tum quia teste Augustino, prædestinatio nihil aliud est, quam præparatio gratiæ, & gloriæ, & beneficiorum Dei: tum etiam, quia licet hæc dona aliquo modo sint coniuncta cum vnione hypostatica, tamen in se, supernaturalia sunt, & non resultant quasi physice ex gratia vnionis, sed speciali Dei actione, & influxu conferri debent, ergo necesse etiam est, ut speciali Dei voluntate sint ab æterno prædestinata, & ordinata; cur ergo non denominabitur Christus prædestinatus ad hæc bona suscipienda? Et confirmatur, quia homines non solum dicuntur prædestinati ad visionem beatam, sed etiam ut Deo fruantur, & in eo delectentur, quamuis delectatio sit aliquid consequens visionem. Possunt etiam dici prædestinati, non solum ad gloriam animæ, sed etiam ad gloriam corporis. Quin potius Christus prædestinatus dicitur ad gloriam, quam resurgendo habuit, sic enim exponit Augustinus tractat. 105. in Ioan. verba illa cap. 17. *Clarificame, Pater, claritate quam habui, priusquam mundus fieret apud te*, petebat enim gloriam resurrectionis suæ quam dicit habuisse apud Deum ante mundi creationem secundum prædestinationem, ut Augustinus ait. Qui etiam lib. de prædestinatione Sancti. c. 15. dicit Christum fuisse prædestinatum ut sit caput nostrum: & hoc etiam supponunt Anselm. Ambr. & alij sancti supra citati in 4. & 5. expositione testimonij Pauli ad Rom. 1.

D Hæc dissensio ex parte esse potest de re, & ex parte de modo loquendi. Si enim intelligatur Christus primario, ac per se prædestinatus ad beatitudinem animæ, & hac ratione eius animam, & humanitatem esse ordinatam ad vnionem hypostaticam, quem sensum Durandus, & Scotus, indicant, sic erit dissensio de re, & eorum sententia falsa est, & omnino improbanda, tum quia procedit ex falso fundamento, scilicet visionem beatam esse maius bonum quam hypostaticam vnionem. Tum etiam, quia ad beatitudinem propriè non ordinatur nisi suppositum, vel persona, non autem natura, quia operatio propriè tribuitur personæ, non naturæ: Christi autem persona non potuit per prædestinationem ordinari ad beatitudinem, nisi in assumpta natura, illa ergo ordinatio ad beatitudinē supponit in Christo prædestinationem vnionis hypostaticæ, atque ad prædestinationem huius hominis ut sic, ad esse Filij Dei naturalis. Hæc ergo est propria, & singularis prædestinatio Christi, quæ & dignitate, & ratione seu intentione prima est, & ad eam cætera bona consequuntur. Hoc ergo vero sensu supposito, solum de modo loquendi potest esse cōtrouersia, an Christus possit dici prædestinatus ad beatitudinem, nec ne: nam in re certum est, ex vi illius voluntatis quæ Deo voluit vnionem hypostaticam fieri in humanitate Christi, cōsequenter voluisset sanctificari per diuinitatem ipsam, & esse Filium Dei naturalem per gratiam vnionis, & habere in sua humanitate ius ad beatitudinē supernaturalē, & alia dona: & cōsequenter etiam voluisse hunc hominem esse beatum, & habere claritatem gloriæ, & exaltationem nominis, & alias similes dignitates, ac

Scot.
Durand.

August.

Anselm.
Ambros.

Christus
quomodo
dici possit
prædestina-
tus ad bea-
titudinem,
& alia do-
na gratia.

tes, ac denique ordinasse rationem omnium mediorum, per quae Christus haec omnia bona in tempore erat consecutus. Cum igitur haec in re certa sint, solum de modo loquendi potest esse controuersia, an Christus possit denominari praedestinatus ad beatitudinem vel aliquam dignitatem, quae in ipso est secundaria, & minus principalis, quod non video cur negandum sit, cum necessarium non sit semper in praedestinatione explicare praecipuum, & primum terminum eius, & cum Sancti, Aug. & alij citati ita loquantur. Imò & Scriptura sacra, Acto. enim 10. ubi Latina lectio habet. *Ipsa est, qui constitutus est a Deo iudex uiuorum & mortuorum*, Graece est uerbum *prophetas* quod significat praedestinatus. Potest igitur Christus dici praedestinatus ad haec omnia, quia tota, & perfecta praedestinatio illius, haec omnia includit, filiationem, scilicet, diuinam tanquam primariam formam, seu terminum, gloriam uero, & alias dignitates tanquam proprietates consequentes, & ad illius consummatam perfectionem pertinentes, & ita aliter dicitur Christus praedestinatus ad beatitudinem, quam alij homines: quia in aliis beatitudo est ueluti primarius terminus praedestinationis, in Christo uero est secundarius, & proprietates consequens, & ideo praedestinatio Christi singularis est, & inter omnes excellit.

SECTIO IV.

An humanitas Christi possit dici praedestinata vel simpliciter, vel ad aliquem terminum.

D. Thom. Ratio dubitandi est, quia D. Thom. hic, art. 1. ad 2. negat naturam praedestinari, sed suppositum, quia praedestinari, inquit, est dirigi in salutem, quod quidem est suppositi agentis propter beatitudinis finem. In contrarium uero est, quia ibidem D. Tho. in 3. d. 10. quae 3. quae stitucula 1. eam locutionem admittit, quam sententiam ibidem amplectitur Bonauent. art. 1. quae st. 1. & Alenf. 3. par. q. 3. memb. 1. Durand. & Scot. dist. 7. q. 3.

*Bonauent.
Alenf.
Durand.*

Sed in quaestione de nomine breuiter dicendum uidetur, aliud esse loqui de praedestinatione ad beatitudinem, aliud uero de praedestinatione ad unionem hypostaticam: prior praedestinatio non tribuitur proprie naturae, sed supposito, & hoc optimè concludit ratio D. Thom. quia beatitudo in operatione consistit, & operari est suppositi, si proprie loquamur. At uero loquendo de praedestinatione ad unionem hypostaticam, uerè ac satis proprie dici potest humanitas praedestinata ad hanc unionem, primò quidem, quia ita loquuntur graues Theologi citati, imò & Aug. de praedestinat. Sanct. c. 15. cum ait, *Praedestinata est ista humana natura aeterna subiectio, ut quo attolleretur, altius non haberet, & eodem modo loquuntur Aymo, & Hugo Cardinal. supra sect. 2. in 3. expositione citati. Secundo, quia hic cessat ratio facta, unio enim proprie conuenit naturae non personae & ad unionem non assumitur, vel mouetur per operationem propriam, sed potius mota seu assumpta ab alio: ergo praedestinatio ad unionem non potest proprie denominare personam, sed naturam. Et confirmatur, quia haec unio praedestinata est à Deo ab eterno, ut supra cum D. Thom. probatum est: ergo aliquid potest proprie dici praedestinatum ad hanc unionem, quia unio non est merè absoluta, sed respicit vnibilia, ergo sicut Verbum dicitur praedestinatum uniri Verbo. Imò hoc modo facile, & expeditè explicatur hoc mysterium, nam reuera, quod primo Deus decreuit, nihil aliud fuit, quam humanitatem uniri Verbo. Unde argumentor tertio, quia gratia unionis in tempore humanitati confertur, & ad illam suscipiendam ab aeterno ordinata, seu praedestinata est, non in alio, seu per aliud, sicut pars potest dici ordinari cum toto ad aliquod bonum, sed in se,*

Augusti.

*Aymo.
Hugo. Car.*

*Humanitas
quomodo
dicatur
praedestina-
ta ad unionem
hypostaticam.*

& per se, quia gratia per se primo illi fit, ergo optimè potest denominari praedestinata ad hanc unionem. Immeritò ergo Medina hoc loco, scribit in haec uerba. Est etiam quidam nouitius Theologus, qui affirmat praedestinationem ad beatitudinem esse quidem personae, sed quod praedestinatio ad unionem hypostaticam, non est personae sed naturae, quae assumpta est ad unionem hypostaticam. Sed isti non intelligunt quae loquuntur. Hae ille, qui si antiquos Theologos consulisset, sententiam hanc non attribueret alicui nouitio Theologo, neque eos credo dicere esse locutos quae nesciebant. Praeterea cum distinctio illa expresse sit S. Tho. in catoloco. Et quod ualde admiror, ipsemet statim docet, rectè, & uerè dici naturam humanam esse praedestinam, quod necesse est, nec proprie dici potest de praedestinatione ad beatitudinem, ut optimè D. Thom. docuit: intelligendum ergo necessario est de praedestinatione ad unionem hypostaticam, ut ipse statim declarat. Cur ergo alij imponit, eos non intelligere quae loquuntur, cum uera loquantur, ipso etiam approbante? Quin potius addo iuxta mentem D. Thom. hic, humanitatem non esse dicendam simpliciter praedestinam, sed solum cum illo addito, *ad unionem hypostaticam*, quia praedestinatio absolute dicta, iuxta communem usum huius uocis, absolute inquam dicta, supposito tribuitur, non naturae, proprie enim diuina prouidentia uersatur circa supposita, uel personas quas gubernat: circa naturas uero, non nisi ratione suppositorum, & ideo praedestinatio, quae est pars huius prouidentiae, absolute dicta, refertur ad suppositum. Item quia praedestinatio aliorum hominum uel Angelorum absolute dicta refertur ad beatitudinem, ad quam humanitas non fuit proprie praedestinata, praedestinatio autem Christi immediate, & per se terminata est ad ipsum Christum, & ideo simpliciter, & absolute Christus est praedestinatus. Humanitas uero quamuis per eandem praedestinationem ordinata sit ad unionem hypostaticam, nota tamen fuit simpliciter praedestinata, sed (ut ita dicam) compredestinata: & ideo non debet denominari praedestinata, nisi adiungendo terminum talis praedestinationis, quo explicetur, illam esse praedestinam per modum naturae, & non per modum suppositi.

QVÆSTIO XXV.

De adoratione Christi, in sex articulos diuisa.



Einde considerandum est de his quae pertinent ad Christum in comparisonem ad nos. Et primo de adoratione Christi, quae scilicet nos cum adoramus. Secundo de hoc quod est Mediator noster ad Deum.

Et circa primum queruntur sex.

Primò, utrum una & eadem adoratio sit adoranda diuinitas Christi & eius humanitas.

Secundo, utrum caro Christi sit adoranda adoratione latría.

Tertio, utrum adoratio latría sit exhibenda imaginí Christi.

Quarto, utrum sit exhibenda cruci Christi.

Quinto, utrum sit exhibenda mari eius.

Sextò, de adoratione reliquiarum Sanctorum.

Quoniam actus adorationis in genere sumptus ad totam Trinitatem, & ad Christum Deum hominem, & suo modo ad Sanctos, & ad res alias, de quibus in sequentibus dicem, terminari possit, seu referri, & ideo haec materia non uideatur huius loci propria, sed ad tractatum de uirtutibus pertinere ubi